

adesse, summis ima sociari, terrena cœlestibus jungi, unum quoque ex visibilibus atque invisibilibus fieri. Sane clarissimæ memoriæ Cyprianus cum orationem Dominicam exponeret, ventumque esset ad id quod dicitur: *Panem nostrum quotidianum* (*Matth. vi, 11*): Potest, inquit, dupliciter accipi et spiritaliter et simpliciter, quia et uterque intellectus utilitate divina proficit ad salutem: nam panis vitæ Christus est, et panis omnium non est, sed noster est; et quomodo dicimus: *Pater noster* (*Ibid., 9*), quia intelligentium et credentium Pater est; sic et *panem nostrum* vocamus, quia Christus noster, qui corpus ejus contigimus, panis est. Hunc autem panem dari nobis quotidie postulamus; ne qui in Christo sumus, et Eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus, intercedente aliquo graviore delicto dum abstenti et non communicantes a cœ-

lesti pane prohibemur, a Christi corpore separemur, ipso prædicante et monente: *Ego sum panis vitæ qui de cœlo descendi: si quis ederit de meo pane, vivet in æternum: panis autem quem ego dederò pro vitæ sæculi, caro mea est* (*Joan. vi 51, 52*). Quando ergo dicit in æternum vivere, si quis ederit de ejus pane; ut manifestum est eos vivere, qui corpus ejus attingunt, et Eucharistiam jure communicationis accipiunt: ita contra timendum et orandum est, ne dum quis abstentus separatur a Christi corpore, remaneat a salute..., comminante ipso et dicente: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis* (*Joan. v, 54*). Et ideo panem nostrum, id est Christum, dari nobis quotidie petimus, ut qui in Christo manemus et vivimus, a sanctificatione ejus et corpore non recedamus.

## VITA SANCTI AIGULFI

ABBATIS LERINENS ET MARTYRIS.

AUCTORE ADREVALDO MONACHO,

(Apud Mabill. ubi supra.)

### OBSERVATIO PRÆVIA.

Legerat Laurentius Surius S. AIGULFI seu Aygulfi [Aigulfe, al. S. Ayoul] Vitam ab ADREVALDO scriptam, auctoris tamen nomine destitutam, eamque a se contractam et alio stylo redditam anno 1580 ediderat. Non placuit Vita Suriana Vincentio Barrali, qui, translationis S. Benedicti in Galliam obscurare memoriam volens, aliam Vitam ex variis mss. perantiquisque codd. Cœnobii Lerinensis compilatam, eliminata prædictæ translationis narratione, vulgavit, anno 1613, in Chronologia sua Lerinensi. Quod quidem in monacho congregationi Cassinensi addicto utcumque ferendum, probari utique non potest in recensione Suriana, anno 1618 Coloniae facta, cui, rejecta priori historia a Surio probata, Barralis compilatio inserta est. In ms. cod. Floriacensi S. Aigulfi Vita a nobis hic germano ac nativo stylo repræsentata istam præfert inscriptionem:

### PROOEMIUM PATRIS ADREVALDI

de Vita et Passione venerabilis monachi AIGULFI Eloriacensis loco.

*Vitæ sanctorum utiles.*

1. Sanctorum fortissimorumque Christi athletarum pia ardua que certamina, quibus diabolum mundumque truculentum triumpharunt, litteris committere, succiduisque transmittere, non esse cujuscunque officium, nemo est pene qui non norit. Etenim talibus rudimenta credentium fideique auspicia dedicantur, spei fiducia adulti animantur, charitatis piæ dulcedine perfecti delectantur, cautela agonothæ ne succumbant quasi quodam oleo perfundetur; et si lassaverint, hoc medicamine fortitudini pristinae redduntur. Huc accedit quod sanctorum societati, quos jam retinet beatitudinis sinus nobis adhuc interclusus, his affecti frequenter intersumus. Neque enim eos propter lineamenta diligimus forinseca, sed quod pulchros novimus meritorum prærogativa, quæ dum nostris cordibus per historiam eorum recitata

C inseruntur, quasi per quoddam speculum ad nostrorum mentis oculos præsentanda reducuntur. E quorum collegio nos unius Vitam passionemque, id est Aigulfi nomine, ipsius amore pro quo sic vixit et passus est, scripto tradendam suscepimus; non freti ingenii acrimonia, sed illius juvenine qui linguas infantium facit disertas: et cujus promissum tanquam firmissimam tenemus anchoram dicentis: *Aperi os tuum et ego implebo illud* (*Psal. LXXX*).

2. Sed non me fugit quorundam usus semper quæritantium, quo dentem lacerum figere queant, quorum forsant sententia erit: Quid nobis rudem adducitis, vel potius confingitis martyrem? Num eum aliquis pro fide Christi jugulavit persecutorum? Antiquorum est tale martyrum tropæum, non novitii alicujus minus caute caventis insidias inimicorum, cui laus quam brevissima si emerit, sufficiat ei,



Quid enim præjudicat utrum ante quadringentos vel ducentos annos aliquis martyrum agonis sui cursum consummarit? Nunquidnam inspector certaminis idem semper est? Sed hæc non sunt velut vina pensanda, quæ quo vetustiora, eo solent esse gratiora. Sed esio, non eum persecutorum quisquam interfecit pro Christi confessione; num Joannem illum inter natos mulierum maximum Herodes

A propter Christum capite plexit; et non potius quia adversarius ei in via iniquitatis exstitit, propter veritatem, quæ Deus est, eum rebus humanis exemit? Ideoque si aliunde quidquam proruperit, quod pro B. Joanne susceperit, hoc et pro isto viro venerabili se suscipere debere meminerit. His ergo quam brevissime prælibatis, ad narrationem, Christo præeunte et nostra conamina juvante, veniamus.

## INCIPIT VITA.

### *Aigulfus Blesæus.*

3. Morem fuisse antiquorum seu modernorum scriptorum, ut cujus gesta erant relaturi, ejus prius et genus et nativum exprimerent solum, etiam simplicibus quibusque patet. Quorum nos quoque non asperrantes usum, B. Aigulfi patriam genusque nescentibus significare curamus. Castrum Blesense (*Blois*) in latere cujusdam est situm montis, cui contiguum est littus Ligerici amnis, idemque Liger (*le Loir*) perinde præterlabens, præter piscium copiam, quam illi loco solemniter cæteris exhibet, aliarum quoque frugum, vini scilicet et rei frumentariæ cæterarumque humanæ necessarium naturæ magnam repræsentat gratiam. Hujus pagi et castri incolas fuisse parentes B. Aigulfi, certissima relatione didicimus: non quidem multum sanguinis alti ventositate sublimes nec opum mundalium affluentia tumidos, tanta tamen prole felices. Erat enim unuseorum de quibus Apostolus: *Infirma mundi hujus, inquit, et contemptibilia elegit Deus, et ea quæ non sunt* (*I Cor. 1*). Hic ergo indubitanter quidem ætatem qualiter transigerit narratu difficile est; qualiter scilicet ecclesiæ dulce habuerit assidue terere limina, sacerdotum obsequiis inservire, vigiliarum excubiis operam dare, pauperum necessitatibus pro viribus concurrere, totumque se in dies singulos hostiam vivam, sanctam, Deo placentem, in ara sui cordis spiritualiter Domino spiritum mactare.

### *B. Mummoli disciplinæ se tradit.*

4. At vero ubi annos appulit juventutis, cœpit esse oneri non modo vita, sed et habitus sæcularis: versabatque animo quonam pacto ejus retinaculis abruptis, mutata sorte, Christi compedibus salubriter pedem innecteret. Sed dum in his distenderetur, morasque innecteret moris, mox consilii inutilem querendo (neque enim tanta res præcipiti se debet credere voluntati, sed multam retractationem talia postulant) rumor beati viri Mummoli abbatis Florianensis ejus aures occupat: fama namque vitæ ejus longe lateque ferebatur. Hac audita opinione impiger sanctum virum adire audireque quæsiit: quo adito, desiderium quo diu flagrabat aperuit, et ut se numero eorum quos in schola Christi instituebat insereret, humillima petitione postulavit. Quod beatus vir audiens, more disciplinæ semper amico et regulari vitæ solito, diebus probationis transcursis et probationis competentibus transcensis, corpori sanctæ congregationis suæ veluti membrum idoneum univit.

### *Religiose vivit.*

5. Idem autem caulæ indeptus monasticæ, mox operante sancti Spiritus virtute, cœpit monstrare animal se esse mundum et gregi aptum cœlesti. Enitebat in eo velut in ove innocentie puritas, in imperio priorum membrorum vera arietina potestas, in bello dæmonibus indicto quodammodo taurina inflexibilis auctoritas, in animi puritate columbina dulcedo, in castitate mentis et corporis turturis munditia præeminens: nec obliviscebatur in lege illud animal mundum decerni quod unguam findit et ruminat (*Lev. xi*): ideoque unguæ divisionem in discretionem intelligebat, non solum boni et mali, sed etiam interni hominis causam. Porro in ruminatione verbi Dei tenebat assiduam meditationem, secundum quod Dominus dicit: *Oportet semper orare, et non deficere* (*Luc. xviii*). Et Psalmista: *Benedicam, inquit, Dominum in omni tempore: semper laus ejus in ore meo* (*Psal. xxxiii*). Tot ergo coactis sub uno virtutibus, veluti pinax spiritualis, omnium vernabat gratia virtutum; et ne aliquam tanta possent bona incurrere jacturam, agebat quod de viro scribitur justo, quia meditabitur in lege Domini die ac nocte (*Psal. 1*). In cujus exercitatione ad id culminis evasit, ut non modo comprovincialibus, sed etiam procul positus ejus doctrina miraculo foret: Divinitati vero quod magnipenderet eum cui talia contulerat munia, signis am evidentibus ostendere placuit.

### *Sancti Benedicti reliquias in Galliam defert.*

6. Namque Deo amabilis, et toto orbe celebratus atque canendus, regularisque vitæ singularis institutor Benedictus, in Beneventana provincia multis præcedentibus annis vitæ hujus ultimam clauserat diem, et in castro Cassino acceperat sepulturam: sed post non multum temporis, secundum prophetiam ejusdem sanctissimi viri, idem locus a Longobardis captus atque in eremum est redactus. Volens autem divina depositio et prædicti sanctissimi viri reliquias, ut dignum erat, honore congruo venerari, et Gallicarum partes per earum adventum consolari, apparuit jam dicto benigno abbati Mummolo, præcipiens ut prædictum Aigulfum ad Cassinum usque montem sive castrum mitteret, quatenus piissimi Benedicti ossa transveheret: quod et factum esse constat. Deo namque semet præcedente et viam que mirabiliter prosperante tantum emoque iter, facti



indicio quod quærebat, reperit, et repertum maximo cum tripudio ad Patrem qui se miserat revexit. Cujus facti dignoscentiam si quis scrupulosius nosse cupit, libelli de hac re compositi (*ad ann. 653*) lectione addiscere quibit.

*Abbas Lirinensis efficitur Aigulfus.*

7. Hæc res licet illo nil talia curanti immensam tam apud regem, quam aulicos viros peperit sancto viro sanctitatis opinionem. Igitur cum fama virtutis ejus et fragrantia sanctitatis ubique respergeretur, et lychnus igne divinitatis accensus jam super candelabrum divino judicio poni deberet; ecce monachi monasterii Lirinensis<sup>a</sup> præsto adsunt, petentes spirituales sibi attribui Patrem. Idem namque monasterium cum antiqua floruerit prærogativa, ita ut ejus magisterio longe lateque plura fundata sint loca servitio apta divino; eo tamen tempore, auctore diabolo, emergente discordia, secus quam decebat res vacillabant. Cum ergo ad regem proceresque ejus delata esset prædictorum postulatio monachorum, et (ut assolet) rex consiliarios quorum auctoritate rempublicam administrari constabat consulere, quid tali facto opus esset; vox una, dissensio nulla, talem tantumque virum tali oportere loco præfici per quem certum foret et collapsa erigi, et neglecta in antiquum statum reformari. Quid multa? beatus Aigulfus quamlibet renitens atque reluctans coram adducitur, curaque ei monasterii prælibati imponitur gaudente rege, exsultantibusque ejus principibus, eo quod talem gregi suo præponendum eis monstraverit pastorem. Licet namque sanctum virum sua plus mulcerent silentia, attamen apostolici non immemor erat præcepti, quo præcipitur ut omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit (*Rom. XIII*): animal namque oculatum, et undique circumspectum erat, et ut immaculatum maneret, hinc inde circumspectabat. Jam vero oneri superposito cervicem supponens, fratres susceptos adiit, et quia opinio ejus jam eorum aures allegerat, lætis eum devotionis amplectuntur ulnis; eosque et ipse reciproco gremiali confovebat amore.

*Præclara suis dat monita.*

8. Cœpit interea in eorum interioribus arvis semina divini serere verbi, quo doceret eos vitiis [*al.*, vanis] abdidatis virtutum prendere culmen: oculorum aciem purgandam interiorum, quia mundus Deus videri non nisi claris obtutibus possit: iræ festucam trabemque odii penitus propellendam, libidinis hostem non modo a corpore, verum et ab animo summopere arcendum: asserens non esse domum dignam habitatione Spiritus sancti, imo refugere cor colluvionibus immundis assuetum. Mundum et quæ ejus sunt, a cordis amore secludendum penitus affirmans, nihil præter quod Deus jussit in sede amoris, id est in principali cordis locandum, id est dilectionem Dei super omnia, et proximi post Deum: et quisquis præter hæc, et quæ.

<sup>a</sup> In Actis a Vincentio Barrali consarcinatis Aigulfus prius monasterio S. Anniani apud Aurelianos

ad hæc pertinent pedem dilectionis detenderit, fornicationis non effugere crimen; et ideo feriendum sententia David qua dicit: *Perdidisti omnes qui fornicantur abs te* (*Psal. LXXII*). His et talibus veluti medicus spiritualis antidotis mysticis non modo mederi languoribus studebat præsentibus, sed et futuris obviare nitebatur incommodis.

*Lirinense monasterium ejus cura reflorescit.*

9. Aderat autem Dominus ejus conatibus, sine cujus juvamine frustra laborant qui ædificant domum. Tantam denique gratiam Dominus ejus impertiri dignatus est doctrinæ, ut non tantum præsentibus eum cum maxima audirent aviditate, sed et hi qui olim a monasterio defecerant, summo cum ardore repedarent, et congregationi semet uniri gauderent. Cernere erat monasterium veluti alvearium quoddam omnes recipere advenientes, qui se apes Dominicas aut esse aut velle fore ferebant: necnon sæcularium multos sua conferre, et spiritualia a sancto viro referre, qui secundum Apostolum seminanti spiritalia, sua metenda exponebant carnalia (*I Cor. IX*).

*Monachorum malorum factiones patitur.*

10. Talia cernens invidus diabolus, cujus invidia mors introivit in orbem terrarum, ægre ferebat: dolebat se ab iis expelli, quos dudum gaudebat sibi subjici. Ideoque callidus explorator ad artes nequitiae solitas convertitur, exploraturus utrum inveniret aliquem suorum inter oves Dominicas sub ovina pelle fuscum, sciens quoniam imitantur eum qui sunt ex parte ejus. Tandem ergo reperit duos, quibus tanquam fistula usus serpentina in paradiso, aliorum corda sollicitabat, et ad discordiam urgebat. Horum unus Archadius, alter dicebatur Columbus contrario sibi utens nomine: cor namque ejus non a malitia fellis alienum, sed sicut apostolus Petrus Simoni ait, in felle amaritudinis, et obligatione iniquitatis erat conversum (*Act. VIII*). In horum ergo corda, sicut et Judæ, immisit se diabolus, ut magistrum traderent, quatenus eo profugato oves sine pastore confligatas distraherent. Itaque diu sua occulere conamina, clanculo asciscientes suæ quos potuere perfidiæ. Sed quadam die cum jam et numero confiderent, et rabiem ultra celare nequirent, veluti flamma diu pressa repente in publicum prorumpunt. Factio enim malorum a duobus excitata signiferis adeo convaluit, ut vix a magistri cæde et bonorum virorum qui sibi adhærebant manibus temperarent. Videntes porro quibus periculum imminebat, quo vota tenebant inimicorum [*al.*, iniquorum], fugæ subsidio se eorum manibus eripuerunt, et in ecclesiam S. Joannis sese contulerunt, Domini potestati et misericordiæ cor animasque suas commendantes.

*Corda eorum mollire tentat.*

11. Beatus autem et per omnia mitissimus Aigulfus non immemor patientiæ suæ et mansuetudinis solitæ præfuisse dicitur: quod pauci præter Barralem prodidisse videntur.



ad eos accessit, et lenissimis verbis eorum tumentia corda mollire studuit. His enim verbis eos convenit : « O mihi dulcissimi et nimium amantissimi filii, quo impulsu fœdus paternum fraternumque violatis ? Quid illud est quod vos proprios fratres fecit nescire ? At ignoratis quod diabolus causa superbiam et discordiam a cœli perturbatus sit culmine ? Num mente excessit superbis solis ablatam esse pro summa vindicta unionem linguæ, et nunquam reparatum nisi adventu Spiritus sancti coagulum charitatis significantis irignis specie ? Discite ergo similitudinibus renuntiare, et Domini verbis obedire dicentis : *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde (Matth. xi)*. Quod si propter me hoc agitur, dico vobis Jonæ verbis : *Tollite me et mittite in mare (Jon. i)* : satius est mihi a vobis secerni corpore, quam præseus vestra cruciari dissensione. »

*Iterum paulo post rebellantes placare nititur.*

12. Hac oratione visus est quidem ad tempus compressisse motum et mitigasse furorem : in tantum ut ipsi faterentur culpam, obtenderent satisfactionem ; sed arte prætexebant culpam. Anno enim integro diabolus in speluncis cordium illorum sub tali simplicitate delituit ; nec viri Dei valuit quanquam erebris, imo continuis monitis a latibulo mentis eorum tanquam aspis obturata aure abduci, quin semper machinarentur, quatenus cœptum suum optato fine concluderent. Sed cum jam talia per multorum ora volitarent, et ad regem usque perveherentur, verentes conspirationis auctores regis ne severitas in eos animadverteret, decreverunt ut alter eorum, id est Archadius, monasterio discederet, commoturus clericos civitatis, et quoscunque sæcularium varet. Columbus vero infra monasterium residens, eos qui a sancto viro desciverant in perfidia cœpta confirmaret, et si quos posset sibi sociaret. At vero sanctus vir Aigulfus semper doctrinæ instabat dicens : Fratres, Spiritus sancti verba sunt dicentis : Dominus unanimes facit habitare in domo (*Psal. lxxvii*). Qui ergo unanimatem non tenent, habitationem domus Dei perdiderunt, et in diaboli sortem concesserunt. Ideoque oportet nos charitatis vinculis necti, et non scissionibus dividi.

*Arcadium seditionis incentorem rejicit. Capitur et ligatur cum suis.*

13. Taliter illo agente et dicente, quadam die Archadius reversus fucata humilitate, fictisque verbis, promissa præteritorum correctione, habitationem pristinam precabatur. Vir autem Domini pestem prævidens latentem, fratribus adnitentibus, non modo non annuit, sed etiam eum extra monasterium eliminavit. Sed ille injuriæ impatiens ad quemdam se contulit. Vicetiam civitatis principem »

• *Lege Ucetiam civitatis principem, id est episcopum ; sic enim non raro episcopos appellant. In Vita S. Amandi cap. 23, ad ann. 679, dicitur Mummulus Ozidinsis, id est Uticensis episcopus, S. Amando necem molitus esse. Quæ hominis sævitia, sicut*

A nomine Mummolum, suasitque ei ut ad monasterium iret quasi multas pecunias ibidem reperturus. In cujus pectus cum notam sibi facem cupiditas iniecisset, incunctanter iter arripuit, et monasterium sanctumque virum adiit : et quia crebro cum eodem Mummolo de utilitate animæ conferre erat solitus, nihil veritus eum suscepit, et magnifico convivio eum curari fecit. Jam vero insidiarum concinnationes per Audoenem cognoverat episcopum [ Rothomagensem ]. Mummolo ergo prandente et cæteris scleris conspiratoribus, subito Archadius ad similitudinem Judæ turba stipatus maligna constitit, et magistrum comprehendi, vinciri, fustibusque tundi jussit : quod et factum est. Interea vir totius patientiæ, reminiscens Dei, et Dominum nostrum Jesum Christum non pro se, sed pro nobis amariora pertulisse, et ideo tota fiducia decantabat, dicens : *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi ? Calicem salutaris accipiam et nomen Domini invocabo (Psal. cxv)*. Laceratus ergo et vinctus, ludibrioque habitus, ante ora persecutorum suorum exponebatur, quousque nox luci superduceretur : quæ cum suo tempore terras operire cœpisset, ministri Satanæ eos quos sancto viro familiarius adhæsisse sciebant, a claustris monasterii eductos, ad Patrem adducunt tanquam pariter audiendos, re autem vera ut simul passuros : non enim volebat Divinitas solum pati pastorem, sed habere participem gregem. At vero sancti veræ virtutis, ut pote Spiritu sancto confortati, quasi jamjamque jugulos ensibus præbituri, ultimum vale sibi dicebant, et alterutrum in oscula ruentes commendabant seipsos Domino, dicentes ei cum maxima fiducia : Propter te, Domine, morte afficimur ; tota die, æstimat sumus sicut oves occisionis (*Psal. xliii*) : ne ergo nos repellas in finem. Itaque dicebant : Collocasti nos in obscuro sicut mortuos sæculi (*Psal. cxlii*). His et similibus vocibus et noctis tenebras et proprias solabantur ærumnas.

*Aigulfus e carcere exire recusat.*

14. Inter hæc autem et mutuis armabantur alloquiis, ne quis infirmorum in talibus deficeret, cam dicat veridicus Apostolus : *Non sunt condianæ passionis hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelebitur in nobis (Rom. viii)*. Sane ut se habet humani corporis natura, præ tristitia sopor solito gravior eos pariter corripit, et vinctos scilicet et custodes : sed unus custodum misericordia tactus tectum custodiæ subiit, culmen nudavit, et ad fugam capessendam sanctos invitavit : sanctus vero Aigulfus gratias illius devotioni egit, sed et hortatui minime acquievit dicens : « *Sive vivimus, Domino vivimus ; sive morimur, Domino morimur ; sive ergo vivimus, sive morimur, Domini sumus (Rom. xiv)*. Et quia

et ætas, satis præsentis facto respondet : tametsi Lerinus insula non parum distat ab Ucetia civitate Galliam Narbonensis. Sane in apographo V. C. D. Herovallii pro Vicetiam legitur Nicetiam, seu Nice, quæ urbs Lerino vicinior est.



semel dispositioni illius manus dedimus, ejus animo minime refragabimur. Opus enim ipsius sumus, et ipse figulus noster. Non ergo testeum vas contra plastem suum conqueri fas est, ideoque Domini fiat voluntas. »

*Arcadii falsa blandimenta.*

15. His ita dictis reliquum noctis laus sibi vindicavit divina : post cujus abscessum lucisque successum importator calamitatis Arcadius, imitans diaboli et perfidorum quorumcunque usum, cum ipse (ut supra monstratum est) caput fuerit totius criminis, advenit verbis quodammodo dulcoratis, sanctorum volens lenire dolorem. At vero unus illorum, Trucarius nomine, justo commotus dolore quæque mens dictavit dolorve suasit, in faciem ei objecit, dicens : Eum imitatione vere esse filium diaboli, qui cum ad interitam impellat quemque, consultor insuper videri appetit : sed et fratrem Judæ, Domini traditoris, qui ad similitudinem ipsius pro osculo ficto verba ferret melle quidem blandimentorum sed succis venenatis referta. At vero facies impudorata crudelitati conjuncta non sensit increpationis monita : insuper importune præstat incceptam sententiam. Namque idem miser Arcadius, ut fidem videretur facere non se [supple ficte] egisse quæ gesserat, ad horam tertiam sanctis cibos et pocula obtulit, et ad reficiendum tanquam eorum compatiens dolori invitabat. Sancti tamen, licet extrinsecus angerentur, non ideo propositi regularisque obliti consuetudinis, responderunt, non se perdere posse instituta regularia, quæ illo tempore ad nonam usque horam extendi jejunia jubent : sicque remotis eduliis consueto more ad horam usque solitam solemnia dilata sunt jejunia. Cum vero tempus solvendæ adforet abstinentiæ, unanimiter pro ipso Arcadio preces fuderunt, et sic ab eo oblatum cibum sumpserunt.

*Mummolus res monasterii deprædatur.*

16. Mummolus autem qui talibus offensum se videri volens a monasterio recesserat, tertio die rediit, atque cum intentione maxima singulorum pecunias cœpit inquirere. Sed monachis respondentibus non licuisse unquam sub manu sancti viri constitutos aliquid proprium habere, neque voluntatem quidem, sed esse omnia omnibus communia ; ille cernens se abs spe decidisse, aliorum se vertit : quia enim non reperit privata, irruit in publica ; et quidquid rerum monasterii fuit, et auferre cupiditas suasit, nihil penitus reliquit.

*Sancti navi imponuntur.*

17. Eo porro recedente sanctus Aigulfus cum cæteris secundum libitum Arcadii et Columbi custodiebatur, et per dies decem in ergastulo conficiebantur corpore, sed semet solabantur hortamentis Domini dicentis : *Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum (Luc. XII).* Itemque : *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei (Act. XIV).* Post hæc autem ministri dia-

boli, Columbus scilicet et Arcadius, moventes, tam S. Aigulfum quam reliquas sancti Spiritus victimas navi imposuerunt, et mari sese crediderunt. Sancti porro certissime jam noscentes quod filii mortis perdere eos decrevissent, mutuo semet hortabantur monitis secundum Apostolum, tanto magis quanto videbant appropinquantem diem, ne quis illorum amore vitæ præsentis aut timore mortis incertæ inimicis cederent : quia et mors præsens si differtur, non evaditur ; futura vero nunquam terminatur ; dicente Domino impiis : *Ite in ignem æternum (Matth. XXV).* Sed et felicitatis sanctorum fine carebit, Domino itidem dicente fidelibus suis in ejus fidelitate usque in finem perseverantibus : *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi (Ibid.).* His et similibus athletæ Christi in palæstra spiritali adversus versutias diaboli et ministros ejus furiis exagitados dæmonicis armabantur.

*Tempestate jactantur.*

18. Sane postquam navis quæ utrosque pariter ferebat, persecutores videlicet et persecutionem patientes, altum petiit mare, venti contrarii se tollunt, et aliorum persecutores dicuntur voluntate, alibi autem ventorum flamine : sicque per quadraginta dies, quod dictu quoque mirabile est, rotabantur toto illo oberrantes freto, ut nec ipsi littus prendere, nec undæ maris navem mergere possent : credo monstrante Deo quid mererentur impii : sed ut non paterentur quod merebantur sotes, obices quidem esse insontes quodammodo ipsa elementa etsi non voce, opere clamarent : Fas fuerat furciferos hos aut syrtibus illidi, aut charybdi vorari, si non essent his misti qui non merentur talia experiri. Et quidem in diluvio in promptu fuit noxios undis involvi, qui erant a bonorum societate secreti : Ægyptios libere voravimus, quia nullum justorum eis mistum vidimus Jonam ad ulciscendam incedentiam suscepimus, sed a Deo præparatum alumnum nostrum scimus, qui et illum salvandum carcerali custodia susciperet, nec quasi cibum corrumpendo in sua membra trajiceret, sed quasi depositum cum reposeretur repræsentaret. Quid talibus Creator velit, anceps apud nos sententia fluctuat : sed hic unum simile recordamur, Pauli scilicet naufragium, qui similiter ab iniquis vinctus, cum eis periculum expertus est marinum : sed ne et ipse et cæteri perirent, ejus oratione donatum est. Forsan ergo et modo huic sancto viro impari discrimine par tribuitur munus : ideoque dum exspectatur ejus sententia, hac et illac jactantur, sed evadendi aditusei negatur et secundum Scripturam quia *impii in circuitu ambulat (Psal. XI).*

*Linguis abscissis loquuntur. Oculi eorum eruuntur. Vilibus induuntur vestibus.*

19. Inter hæc Columbus videns clausum sibi mare, et reputans si terras prenderent, et sanctorum innocentia et sua pateret crudelitas, linguas sanctorum



fecit abscidi. Quo facto quasi integris linguis psallebant : *Domine, labia nostra aperies, et os nostrum annuntiabit laudem tuam (Psal. L)*. Sed tanto nequam motus miraculo, in similitudinem Pharaonis corde obduratus, radicitus eas jussit abradi. Videre erat patens baratrum, et nihil inesse plectri, et tamen verba perfectissime absolvi. At cum audiret eos Columbus inaudito more loquentes, impietatem suam augmentans, lumina eorum jussit terebrari : qui tamen a laude divina non cessabant. Et licet extrinsecus privati luminibus, ea tamen quibus Deus videtur lumina salva se habere scientes, fidenter coram eo, imo ipsi psallebant dicentes : *Ad te levavimus oculos nostros, qui habitas in caelis (Psal. cxxii)*. Immanitas porro Columbi et socii ejus erga sanctos nec sic quievit : enim vero vestimentis eos exui quibus induti erant præcipiunt, et sordida pro eis vilissimaque mutari : non respicientes miseri, quia qui Christo indutus est secundum Apostolum dicentem : *Induite Dominum nostrum Jesum Christum (Rom. xiii)* ; et iterum : *Induite vos viscera misericordiae (Col. iii)*, etc., nihil veteris, nil sordidi eum de- decorare possit.

*Pascha in insula Capraria celebrant.*

20. Taliter sane eis per multos jactatis dies, appulerunt insulam quæ vocatur Capraria. Hujus sinus retinebat maximum examen monachorum : ad quos divertentes quinta feria ante Pascha, quæ Cæna Domini dicitur, benignissime atque humanissime sunt excepti, ut si edicam, sicut decet monachos. Cognita enim proluxa eorum tribulatione, qua longissime et infelicissime vexati fuerant, festinabant eos recreare quibus poterant modis. Illis ibidem morantibus sacratissimus adventit Paschæ solemnitatis dies : in qua cum missarum officium celebraretur, infelicissimus et flagitiosissimus omnium hominum Columbus, infulis diaconio aptis officio adopertus tanquam diaconus ministravit, conspicuus humanis, sed perosus obtutibus divinis. Insuper cum ad id loci ventum esset, quo corporis et sanguinis Christi sacramenta percepturi, oscula sibi invicem libant, ille infelix non dubitavit a se sic crudeliter multatis oscula porrigere, non columbina, sed prorsus corvina aut certe canina. Beatus porro vir Aigulfus cum sociis suis, cum summa exultatione Deo gratias quas poterat referebat, non modo pro sui recreatione, quantum pro immensa fratrum ad quos Christus eos adduxerat charitate.

*Columbo Ephesum profecto illic morantur.*

21. Expleta paschali festivitate Columbus Ephesum petivit, ut pote homo sæculi sæcularibus negotiis inserviturus. Interim S. Aigulfum cum reliquis sanctis in eodem monasterio dimisit, præcipiens ut semet reversurum opperirentur. Tantam ergo Domi-

\* Quamvis S. Aigulfi memoria in duobus veterinibus martyrologiis cænobii Floriacensis non consignetur primaria manu sed recentiori ; constat tamen ejus festum diem a Floriacensibus ante annos sex-

anus sancto suo Aigulfo, quousque iniquus ille reverteretur, gratiam attribuit in loquendo, ut semper satietatem auditorum aviditas comitaretur : ipse enim qui dederat gratiam ut elinguis loqueretur, ipse addebat gratiam gratiæ ut gratius audiretur.

*Inde abducti trucidantur.*

22. Reversus autem Columbus ab Epheso, sanctos a monasterio abstrahit, et navi iterum imponit : et cum sustulissent a portu et aliquid spatii processissent, occurrit eis quædam navis ex Africa veniens, cui sanctos martyres imposuerunt, satellitibus suis præcipientes, ut ad insulam venientes, vocabulo Amatim [Sur., Amatunam], inter Corsicam et Sardiniam sitam, ibi sanctos gladio conficerent : quod et factum est. Pervenientes enim carnifices sacramentorum victimarum ad locum sibi destinatum, præceptis impiissimis officinam nequitiae suæ impendere parant : sed rogantibus inducias oraturis indulgent. Sancti autem propensius ac diutius animas suas Domino commendantes, tandem ab oratione surgunt, et cum omni fiducia et alacritate inter verba orationis et Dominicæ laudis spiritum emisere de vasculis carnis, sub die tertio Nonas Septembris \*.

*Diaboli fraude eorum martyrium obscuratur.*

23. Et quidem quantum conjici datur, salutis humanæ perpetuus æmulus diabolus (ut sibi videbatur) nimis callide agebat, ut scilicet sic sanctos perimeret, quatenus eorum passio mortales lateret ; nec haberent viventes e proximo exemplum, quo roborarentur ad patientiæ bravium capessendum. Maximum namque incitamentum est ad virtutem sodalis et proximi cernere inexhaustum vigorem ; et pudori est apparere degenerem, quem cernant cœqualem ad præmia gloriosa per laborum evasisse certamen. Invidebat etiam mortalibus nequissimus beneficia profutura, quæ per sanctorum reliquias eis conferenda divinitus anxius prævidebat. Sed quam veracissime Deo cantetur : *Draco iste quem formasti ad illudendum ei (Psal. ciii)*, hinc conjici valet.

*Per Ricoinum declaratur Rigomiro Aigulfi successori et Angarissimæ.*

24. Etenim dum truces quæstionarii circa sanctorum occupantur lanienam, unus eorum, Ricoinus nomine, Spiritu adactus divino, scapham nactus subiit et internecioni fraternæ sese subduxit : quem ad hoc credimus divinitus reservatum, ne sanctorum passio occuleretur. Ipsius enim relatu et modus passionis sanctorum ad notitiam mortalium est proditus, et corpora ad consolationem nostram per Dei gratiam manifestata sunt, et ad fines nostros relata. Fas est autem credere eum non esse expertem gloriæ fraternæ, quem non timor a martyrio inhibuit, sed Deus ad tantam utilitatem delegavit. Itaque redeunte eo ad monasterium, jam in loco sancti viri Aigulfi substitutus erat vir veneranda

centos solemniter celebratum fuisse. Id testatur Scriptor libri de ejus miraculis, qui principata Ladovici VI vivebat, uti inferius in lib. *Mirac.*, num. 8, videbimus.



vitæ, Rigomirus nomine; cujus rei nuntio tam ipsi, A quem fratribus, magnus indictus est luctus. At vero cum carni compaterentur, spiritui congratulabantur, scientes successisse eis post habitaculum luteum, penetrale æternæ civitatis, cujus rex et conditor Deus est. Præterea hujus nuntii participem faciunt quamdam Angarismam nomine, quæ in vicino monasterio sororibus præerat sanctimonialibus, a sancto viro a primæva ætate tam in Scripturis divinis, quam monasterialibus imbuta doctrinis.

*Corpora sacra revehuntur. Angarisma S. Aigulfi corpus postulat. Caput cum brachio impetrat.*

25. Igitur communi consilio et ope naves præparant, comites delegant, et ei qui locum noverat adjungunt: qui Deo prosperante, secundis flatibus, blandaque aurarum temperie usi, devecti sunt ad locum in quo martyrum gloriosæ jacebant exuviæ, hominum quidem destitutæ custodia, sed manus divinæ protectione defensæ. Quibus ut optaverant repertis, cum maxima alacritate et summa reverentia, utpote martyribus digna, navi imponunt, et concito itinere redeunt; eisque Deo duce et reduce, secundis potentibus effectibus, et corpora sanctorum monasterio Lirinensi inferre parantibus, obviam se tulit dicta abbatissa Angarisma, cum multa prece obsecrans, ut sibi facultas attribueretur magistri corpus humandi in monasterio suo, cujus est vocabulum Oratorium<sup>a</sup>: cujus devota petitio, et filiorum erga Patrem incomparabilis affectio, hujus solum (ut sic dicam) amicabile fuit jurgii seminarium. Nam femina venerabilis desiderio flagrans corpus petebat; discipuli autem nec modicum ab illius præsentia secerni volebant. Sed inter hæc mediam se obicemque interposuit charitas, quæ talia dirimere consuevit. Namque et feminæ repressit avidiorem voluntatem, et istorum devotiorem ampliavit tenacitatem: adeo ut illi attributum caput sancti corporis cum brachio dextro sufficeret: reliquum autem corporis cum reliquiis sanctorum cæterorum ad monasterium Lirinense a B. Rigomiro et fratribus transferretur<sup>b</sup> humandum.

*Cæca visum recipit.*

26. Porro sanctæ abbatissæ devotio nequaquam indonata relicta est. Erat enim in monasterio illius quædam sororum, cui visum glaucoma abreptum inofficiosas reddiderat videndi fenestras: palpebrarum namque tegmina oculorum globulos retegebant. Plena igitur fide cum reliquis, quæ sacris funeribus solemnes exhibebant excubias, noctem totam ora-

<sup>a</sup> Insignis lapsus! Oratorium monasterium in Provincia nullum unquam fuit, sed in Gallia Belgica prope civitatem Bellovacorum, Oroer vulgo appellatum cui præfuit S. Angadrisma, virgo nobilis, quæ Provinciam insulanve Lerinum neutiquam incoluisse dicitur in propriis Actis, sub finem sæculi istius Benedictini referendis. Si qua fides est Actis S. Aigulfi a Vincentio Barrali interpolatis, *Aigulfus canob um in loco qui Arlucus dicitur construxit seu reparavit, præposuitque eis sanctimonialem virginem nomine Angarismam Blesensem, quam cum aliis virginibus e Gallia venire jusserat.* Angarisma proinde

tionibus, laudibusque oneravit divinis: mane autem facto lux fugata diu rediit, et sera licet divina luce donata, mundum sole lustratum lætabunda conspexit. Quo miraculo adeo omnium allecta sunt corda cernentium, ut non eos tæderet amisisse Patrem corpore, quem commanere gauderent miraculorum tam efficaci repræsentatione.

*Columbus viso Aigulfo dat pœnas.*

27. Non modo autem devotis et a Deo per se beneficia poscentibus idem B. Pater aderat, sed et persecutori suo munus opitulationis impendit. Nam Columbus ejus mortis concinnator, cum nocte quæ diem martyrii ejus sequebatur, se lectulo commisisset, utpote membra relaxaturus in quietem, repente vir Domini astitit, cur immeritum se tantis malis addixerit increpavit, quare crudelitatis ejus immanitas usque ad homicidium innocentium exarserit, vehementer invexit. Quibus dictis, sanguinis effusi guttam digito sumpsit, et ejus pectori ac dorso signum in modum circuli impressit. Quo viso miser tremebundus ad pedes ejus concidit, et obsecrare solitam ejus invictamque pietatem cœpit, ne se tanto obnoxium judicio, examini reservaret divino. Tunc sanctus ejus precibus motus unum nævum detersit; alium autem aboleri non posse indicavit, donec ante Chlodoveum § regem Hebroinumque majorem domus, et publicum Francorum judicium adhiberetur ei remedium: quod et factum constat. Jussu enim regali perquisitus, inventus est, et in vincula conjectus atque judicio Francorum pœnarum ferocitate usque ad mortem vexatus.

*Auctoris pia meditatio.*

28. Licet autem in his non conjectari aliquid, sed plane intelligere quid hæc portenderent. Sanguis enim ille martyris fusus, innocentia intelligitur vim perpressa, justam postulans vindictam: unde Deus de primo talium, id est Abele, dixit ad primum persecutorem, id est Cain: *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me* (Gen. 1). Impressio porro sanguinis in dorso vel in corpore persecutoris, animadversio vindictæ quæ ei debebatur pro admissione sceleris. Unde et Ezechieli Dominus dicit, quod requirat sanguinem peccatoris de manu non annuntiantis pastoris (Ezech. 111). Et Dominus Judæis: *Ut veniat super vos omnis sanguis justus qui effusus est super terram* (Matth. xxiii), id est vindictæ omnis sanguinis justus innocenter fusi. Porro circuli effigies inevitabilem præ sagabatur sententiæ ultionem: circulus distinguenda esset ab Angadrisma, quæ origine Tarvenensis fuit.

<sup>a</sup> Nimirum die sextodecimo Maii, ut Vincentius Barralis inseruit.

<sup>b</sup> Legendum *Theodicum*. In Chronico Malleacensi S. Aigulfi martyrium diebus Theodorici regis et Ebroini majoris domus accidisse legitur. Certe Ebroinus post Erchinoaldum adeptus palatii præfecturam, aut nullo aut brevissimo tempore sub Chlodoveo eam administravit. Unde S. Aigulfi necem anno circa 675 reponimus.



enim in semet recurrit, non habens angularem exitum. De hoc circulo Dominus contra Syriam sub typo diaboli: *Ponam, inquit, circulum in naribus tuis, et frenum in maxillis tuis (IV Reg. XIX)*. Quod autem bis idem circulus est, geminam portendebat impio fieri ultionem, ut scriptum est, *Duplici contritione contere eos (Jer. XVII)*: anteposita et postposita circuli figura, et presentis signabat, et post futura plectendum malignum divina sententia. At vero unus detersus circulus innuebat eundem sanctum virum precibus suis obtinuisse, ne persecutor suus æternis servaretur cruciatibus, secundum præceptum Salvatoris et exemplum, quo præcipimur orandum pro persecutoribus nostris. Alter autem permanens et hominum iudicio delendus, indicat quia sancti, etsi impetrant a Deo futuram vindictam tam propriam vel inimicorum relaxari, ne scilicet æternis incendiis deposcantur; non tamen eis impune cedere volunt quæ vel in Deum, vel in proximos commiserent flagitia, sed oportet et ab eis implere quod ait Apostolus: *Si nosmetipsos judicemus, non utique judicemur: dum judicamur autem, a Domino corripiamur, ut non cum hoc mundo damnemur (I Cor. XI)*. Hinc est quod David peccans, et coram se arguente

A propheta, confitens dicit: *Peccavi Domino; audire meruit: Dominus transtulit peccatum tuum, non morieris (II Reg. XII, 13)*. Et tamen quot afflictionibus propter peccatum dimissum affectus sit, lector historiæ ejus agnoscere quibit. Paulus vas electionis (*Act. IX*) plus omnibus laboravit (*I Cor. XV*); et quia fuit blasphemus, ut ipse fatetur, et persecutor (*I Tim. I*), stigmata se Christi dicit in corpore suo circumferre (*Gal. VI*), notas videlicet inflictas per satisfactionem vitæ præteritæ. Horum ergo et nos reminiscamur; et si nobis (ut scimus) per iudicium sacerdotum donantur peccamina actuum nostrorum, nequaquam tamen nobis parci putemus, donec Deo ut dignum est, et hominibus quos læsimus, satisfaciamus, scientes quanti Deus habeat servos suos, de quibus dicit: *Qui tangit vos, quasi qui tangit pupillum oculi mei (Zach. II)*. Imo honorantes eos in quibus habitare Deum per fidem, cæteraque honorum operum exercitia noverimus, audiamus ab eo: *Venite, benedicti Patris mei (Matth. XXV)*. Et tunc cum eo Patre ejus et Spiritu sancto regnare mereamur, ipso auxiliante, cujus regnum et imperium sine fine permanet in sæcula sæculorum. Amen.

ATNO DOMINI DCCCLXXVIII.

# HINCMARUS

LAUDUNENSIS EPISCOPUS.

## NOTITIA HISTORICA IN HINCMARUM.

(Ex ejusdem Vita, quam scripsit Cellotius, compendiose collecta.)

### § I.

#### *Hincmari junioris educatio, studia, mores.*

Hincmarus junior, in agro Bononiensi natus, matre Hincmari archiepiscopi sorore, patre nobis ignoto de nomine, nobilem, at non copiosis parentibus, matre amissa in ipso pueritiæ limine, in avunculi sinum nutriendus, et bonis artibus instituendus convolvit. Admodum puero id contigisse oportuit, quando \* *linguam in qua natus est, adeo ignoravit, ut etiam in episcopatu eam non solum loqui, verum nec intelligere, nisi per interpretem posset*. Hanc autem educationem sumptibus ecclesiæ Rhemensis factam, atque adeo peculiarem ejus fuisse clericum profitetur avunculus, quem *Rhensis Ecclesia ab ipsis, ut ita dicam, cunabulis, dulci benignitate nutrit, et pannis infantia etuit utque exiit, et ad virum perduxit, atque ad episcopatum provexit*. Animum puer attulit ad facultates grammaticæ posesque propensum; sed plane quales eo colebantur tempora, ut in ejus epistolis et versibus videre est. Prodidit se statim in puerilibus studiis natura, novitatis, jactantiæ, vanitatis affectatrix, cum obscuram orationis vetustatem affectavit: cum sermonem

C ex plurium gentium linguis, tanquam contonem, consarcinavit cum: *verba impropria, veritate sensus carentia, quæ nec ipse intelligebat, studiose conquisivit ad ostentationem*. Invito quidem avunculo et coercente, sed ne acriori reprehensione discendi ardorem exstingueret, et jam tum refractariolum exacerbaret, illius pravitate correctionem ad maturioris ætatis temperiem remittente. Sed in eo spe sua elusum se demonstrat, cum in verbi unius enucleatione grammaticali per ipsum oblata, exprobrat jam episcopo, *de novo ejus utre grammaticæ artis mustum, et ponderationes verborum ebullire*. Atque cum alibi solæcissaret, peccare in grammaticorum regulas sibi ait licere, ut pote scriptori ecclesiastico, qui magna serio tractet: *• Tibi autem, inquit, novo grammatico, qui ut frondosa et condensa arbor foliis; ornatus verborum phaleris debes incedere, et tua signenta grandisonis pompare modis, et in omnem ventum inflatis buccis grammaticas spumas expuere, hoc dicere non licebit. • Exstat earum in dicendo sordium non tenue vestigium, in articulis per Heddonem præpositum ad avunculam missis, in quibus barbariem putes collegisse de triviis et compitis. Præterea jus canonicum et decreta pontificia*

\* Hæc et quæ deinceps in medium adducit auctor, ex Hincmari Rhemensis epistolis et opusculis prælibavit. EDIT.